

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Historia Caini Et Abelis, Notis Criticis, Philologicis, Historicis Et Theologicis Illustrata[e]\$nElektronische Ressource**

**Fecht, Johann  
Fecht, Gustav Friedrich**

**Rostochi, 1704**

**VD18 10451528-001**

§. XXXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-41839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-41839)

*gulas bonæ interpretationis deducant, sed plane aduersus omnes bonæ interpretationis regulas, sensum verbis inferant, aut etiam deficiente plane Scriptura, ex solo præiudicio, de vanitate & inutilitate scholarum & de simplicitate religionis, in sola patientia in laboribus & fiducia in Deum, tanquam in creatorem, consistentis, nescio sub quo pretextu ac quo iure fingendi aliquid, de quo Scriptura tacet, defectum aliquem imaginarium Scripturæ suppleant. Ut adeo ulteriori refutatione ac specialiori demonstratione erroneæ hujus opinionis, omni fundamento & rationis & Scripturæ destituta, vix videatur esse opus.*

§. XXXIII. Ad v. 18. *Cbanoch. Irad. Mechujæel. Metuschaël.*) Nihil de his amplius invenitur in sacris. Quare complendæ tantum Genealogiæ causâ adferuntur. Quæ ex originatione horum nominum de fatiis ejus temporis conjectat D. Galovius, conjecturæ sunt, quin falsus haud fuerit, qui dixerit, infra conjecturarum dignitatem subsidere.

§. XXXIV. Ad v. 19. *Et accepit sibi.*) *Raschi*, quo autore, ipsemet non indigitat, tradit, moris tum fuisse, ut quis duas duceret uxores; unam ad voluptatem, quam sterilitatis poculo inebriatam, quò minus liberos parere posset & de formæ elegantia quidquam deperdere, ineptam reddiderit. Hanc & ciborum delictis & quocunque alio placendi genere, ut sibi promptam paratamque haberet, demeruisse. Alteram ad generationem, ut per eandem genus suum multiplicaret, quæ, quia perpetuis circa liberos laboribus occupata, de formæ venustate subinde detraxerit quidpiam, grata in ipsius oculis haud fuerit, sed contempta. Nec quidem ullum tam tædi moris indicium in omni antiquitate.

com.